Wierszucki Martini: Ens metaphysicum.

ENS
METAPHYSICVM

Perillustris & Magnifici Domini,

D: PETRI
DE STRZEMELEC
ŁASCZ
CASTELLANI LANDENSIS.

Domini & fautoris munificentisſimi
Patrocinio.

Præsidente Excel: D: CHRISTOPHORO WILKOWSKI
Artium Magistro & Philosophiæ Doctore eiusdemq; Professore:

Defendente MARTINO WIERSZYCKI Philosophiæ in Academia Posnan: auditore
dedicatum.

&

Ad discutiendum publicè Anno Dñi 1637. Men: Nouembr: XI.
propositum

POSNANIÆ, In Officina Alberti Reguli.

111.



PERILLVSTRI AC MAGNIFICO DOMINO,

D. PETRO DE STRZEMELEC LASCZ

CASTELLANO LANDENSI.

Domino & Fautori suo Munificentissimo:

Limina amplitudinis Tuæ PERILLVSTRIS ac MAGNIFICE DOMINE nostrum Ens Metaphysicum consalutans aggreditur, in Tuo sinu conquiescere satagit, Te Patronum ac Protectorem requirit, & fauorem patrocinii Tui sibi pollicetur. Nec mireris, Perillustris ac Magnifice Domine, artium & scientiarum monimenta suos requirere protectores. Nouum fuit apud antiquos, antequam in tanto honore, vt nunc, artes & scientiæ haberentur, magnorum & illustrium virorum, sua opera nominibus dedicare: sed cùm iam literæ maximos Principes haberent Patronos, & Philosophos magni fa-

cerent ipſorumque laborem expeterent; vſitatum cœpit eſſe iis, qui nomina Mineruæ dediſſent, opera ſua ad Reges, ad Principes, aliosque excellẽtiſſimos viros cum honorifica mentione, ac celebratione munificentiæ, erga ſtudia, & ipſorum cultores, mittere. Extat Mæcenas Horatii, Maronis Auguſtus, Stagiritæ primùm Philippus, poſt Alexander & diſcipulus, & patronus, quorum patrocinio tecti literas ſuas luce donabant: tum vt magnorum virorum nomina ſplendorem ipſorum voluminibus adderent: Tum vt faciliùs, maleuolorum dentes effugerent. Non ſunt qui nobis inuideant, nec eſt quod Enti Metaphyſico huic, à quopiã detrahatur. Tui dutaxat Nominis Illuſtriſſimi ſplendore expetit gaudere, Tuæ proſapiæ vetuſtiſſimæ gloriâ, ſuam tegere ruditatem. Suſcipe igitur gratus hanc qualemqualem opellam, quæ ex intimo Academico animo profecta eſt, & hãc Academiam cui Filios Tuos, pignora Patriæ, Tuæque familiæ dulciſsima, inſtituendos commiſſiſti, fauore, & beneuolentiâ, vt conſueſti, proſequere.

ENS METAPHYSICVM.

I.

SCIENTIAM METAPHYSICAM speculari Ens vt Ens reale, & ea quæ ipsi insunt determinat Philosophus in 4. met: t. 1. Quod diuiditur primò in Ens quantum & non quantum. Deinde in Ens finitum & infinitum, in Ens per se & Ens per Accidens, in Substantiam & Accidens, in Ens actu & Ens potentia, in vnum & multa quemadmodum vult Philosophus in 5. Met. t. 13. 14. & 15. Inter quæ primum locum obtinet: hæc quæ primo loco posita est. Etsi si Ens diuidas, quod est commune ad Ens reale & Ens rationis; primam diuisionem hanc asseres & non illam, cùm sit prior simpliciter aliis, & etiam cùm quantitas non cadat in Ens rationis sed in Ens rei, siue molis vt in corporea, siue virtutis vt in Deum & Intelligentias.

II.

AD hæc inferiora recensita, siue Ens in latissima communitate, siue Ens vt Ens reale sumpseris; nec Synonimè se habet teste D. Thoma 1. P. Q. 13. A. 5. Nam omnis vniuocatio prouenit ex eo, quòd in quibusdam rebus, tanta sit similitudo in aliquo, vt si remoueantur omnia quæ non spectant ad illud, nulla penitus remaneat dissimilitudo, sed plura sint idem in illo. Ergo si in Ente erit aliqua vniuocatio, remotis quibusdam differentiis, remanebunt omnia inferiora eadem in ipso: quod nequit fieri: impossibile enim est differentias suorum inferiorum ab Ente remouere, ita vt

eas non includat, quia quantumcunq; illas excludat, semper illæ differentiæ erunt Entia. Nec quæras effugium de vniuocatione Physica concedendo & de Logica negando, nam contra te est Ioannes Canonicus in 1. Phys: Q: 3. A. 3. Conc. 2. asserens Ens nec esse genus, nec differentiam nec aliquam intentionem secundam.

III.

NEc dicitur Ens homonimè de suis inferioribus, non solùm quòd hoc doceat D. Th: in 4. Met: cap: 2. Sed quòd etiam Philosophus expresse in 4. Met: t: 2. & in 7. ibidem t: 5. vbi Ens ostendit dici ab vno ad vnum, teneat. Quia ex cognitione vnius æquiuoci, non possumus deuenire ad cognitionem alterius, vt ex cognitione montis Tauri, ad cognitionem Tauri animalis: iam autem ex cognitione Entis rei, deuenimus ad cognitionem Entis rationis: Cùm Ens rationis per speciem Entis rei, non quidem expressam (per hanc enim propriam cognoscimus Ens rationis, cùm cuilibet intellectioni respondeat suum proprium verbum) sed impressam, percipimus. Et etiam ex cognitione creaturarum ad cognitionem DEI, docente Apostolo 1. ad Rom: Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellectu conspiciuntur: Et Sap; 13. dicitur: A magnitudine speciei & creaturæ poterit cognoscibiliter creator horum videri.

IV.

SEd dicitur analogicè, non solùm analogiâ attributionis, sed etiam analogiâ proportionalitatis, D. Th: 1. Contra Gent: c. 34. Et quidem attributionis, quia proprietates ab Ente dimanantes, Enti rationis conueniunt per attributionem ad Ens rei, vt esse verum vel intelligi posse, conuenit Enti rationis per Ens rei: sic etiam: accidentia non minus dependent à substantia in suo esse quam creaturæ à Deo: Sicut enim accidentia propterea sunt, quod sit substantia; ita & creaturæ ideo sunt quod sit Deus. Propor-

tionalitatis quoque analogia intercedit: Nam sicut se Deus habet ad suum esse, & Ens reale ad suum, & substantia quoque: ita etiam habet se & creatura & Ens rationis & accidentia ad suum esse; & hæc est analogia proportionalitatis.

V.

ET quoniam conceptus qui est fœtus intellectus nostri, quem producit intellectus ad intelligendum aliquid. Alius est formalis, qui est actualis similitudo rei, quæ intelligitur, ab intellectu, producta ad eam exprimendam, & distinguitur à specie intelligibili, quæ etiamsi sit similitudo rei non inhæret tamen intellectui, tanquam actus, sed tanquam habitus. Alius obiectiuus, qui est res illa, quæ per conceptum formalem repræsentatur. Distinguitur autem conceptus formalis ab obiectiuo, quia ille est res vera & positiua semper, hic autem non semper est res vera & positiua: Concipimus enim negationes & priuationes quæ esse tantùm habent obiectiuè in intellectu. Hic vterque alius est simplex, alius complexus, & talis erit obiectiuus complexus per qualem formalem repræsentatur: Ideo licet conceptus Entis formalis est vnus & præcisus re à suis inferioribus. cùm hic conceptus sit intellectio ipsa rei; diuersa intellectio Entis & diuersa suorum debet esse inferiorum. Conceptus tamen obiectiuus non est re præcisus, quia si hoc concederemus, in sententiã Platonis, Vniuersalia realiter distincta à singularibus asserentis, incideremus: Sed ratione tantùm idq; non simpliciter sed secundum quid: vniuoca enim præcisum conceptũ simpliciter habent à suis inferioribus ratione.

VI.

HOc Ens tale est vt etsi habeat principia prima complexa cognoscendi videlicet propositiones per se notas, ex quibus multa de Ente cognosci possunt. Nempe De quolibet est affirmatio vel negatio vera. Vel etiam Impossibile est idem esse simul & non esse vt vult Philosophus in 4. Met: t. 9. Hæc enim

vtraque propositio etsi diuersis verbis exprimatur. est tamen vna & eadem nisi quòd cùm per negationem vel affirmationem explicatur, secundo intentionaliter, cùm verò per impossibile, &c. primò intentionaliter effertur. Quinimo hoc etiam est principium primò primum, non illud quod Scotus assignat Ens est Ens. Etiamsi enim Ly Ens est Ens, sit complexum primò primum, non est tamen principium complexum primò primum. Etsi (inquam) principia complexa habet cognoscendi: non tamen habet principia incomplexa essendi distincta aliquomodo ab Ente, Deus enim sub hoc Ente complectitur, ideo non potest habere talia principia. Habet tamen incomplexum formale Metaphysicum secundum nostrum modum concipiendi, quod inquirit Philosophus in 6. met: t. 1.

PASSIONES ENTIS METAPHYSICI.

VII.

DVplices passiones Enti tribuuntur à Philosophis; complexæ quæ cum disiunctione Enti conueniunt; vt esse finitum vel infinitum, necesse vel contingens, &c. & incomplexæ quæ vniuersalissimè omni Enti conueniunt, quales sunt illæ tres: Vnum, verum, bonum. (res enim & aliquid sunt Synonima & non passiones Entis) & hæ aliæ sunt veræ reales & demonstrabiles, aliæ demonstrabiles, sed non reales. Ens igitur habet passiones veras & proprias demonstrabiles (considerand a enim omnia esse ait Philosophus in 4. met: t: 1. quæ Enti insunt) non tamen veras & proprias reales habet, quia omnis passio vera realis, distinguitur à subiecto. Et sufficiunt veræ & propriæ demonstrabiles passiones ad hoc vt sit Metaphysica Scientia quæ etiam simul est Sapientia.

VIII.

PAssiones prædictæ Entis: Vnum, Verum, Bonum, non distinguuntur ab Ente realiter sed sola ratione ratiocinata: nam Ens continet in se quiddam confusum: Vnum verò illud confusum, vt indiuisum in se: Verum vt conformæ suæ naturæ: Bonum vt dicit relationem conuenientiæ: Non tamen hæc tria (etiamsi determinentur per hæc addita) sunt Species Entis, quia Species debet esse inferior Ente & minus patens? iam autem hæc Vnum, Verum, Bonum æquè latè patent vt Ens, nisi aliter & aliter conceptum, alias non conuerterentur cum Ente.

IX.

VNde nihil supra Ens addunt passiones Entis reale, sed tantùm rationis. Et quidem vnum non addit quempiam modum realem intrinsecum Enti, per quem Ens in seipso dicitur esse vnitum & à quo dicitur vnum, vt vult Scotus in 4. met: Q. 2. Nam vel iste modus distingueretur aliquo modo ab Ente vel non, si non Ergo nihil addit vnum supra Ens, si distinguitur, Ergo iste modus non fecit vt sit Ens vnum, nam omnis distinctio requirit pluralitatem: sed addit negationem diuisionis in se vt vult Philosophus in 5. met: t. 11. & in 10. ibidem t. 9. vnde vnum formaliter & in recto dicit Ens, connotat autem negationem in diuisionis ita vt vnum nihil sit aliud quam Ens indiuisum seu essentia indiuisa, vt vult Philosophus in 4. Met: t. 3. inquiens: Vnum & Ens esse eandem naturam.

X.

VErum addit relationem conformitatis ad suam naturam, ita vt sit illud verum, quod sit conforme suæ naturæ seu suis principiis. Nam si per impossibile concipiamus intellectum nullum esse, adhuc res essent veræ, quia essent Entia. Conformitas vero ad idæas in mente existentes est quid consequens ad rationem

 for-

formalem veri, quod consistit in conformitate ad suam naturam. Hoc est, etiamsi veritas (vt diximus) consistat in conformitate rei ad suam naturam; quando tamen inuestigamus, an res aliqua habeat veram naturam an non, solemus id facere ex conformitate illius cum conceptu, quem intellectus habet de illa & tunc fit vt rem illam dicamus esse verã, quæ congruit cum conceptu, & illam falsam, quæ non congruit, & hoc vult S. Thom: 1. P. Q. 16. Art: 1.

XI.

BOnum non addit supra Ens relationem appetibilitatis, quia ideo aliquid appetitur quòd sit bonum. Nec addit relationem finis, nam prius debet aliquid esse bonum & deinde finis: ideo enim agit agens naturale propter hunc finem, quia est quid bonum. Nec addit aliquid absolutum, quia bonum dicitur ad conuertentiam ergo est aliquid respectiuum & non absolutum. Sed addit relationem conuenientiæ, cùm bonum sit id, quod appetitur teste Philosopho in 1. Ethic: cap: 1. iam autem id solùm appetitur quòd conuenit & quatenus conuenit: ideo enim sanitas appetitur quòd conuenit homini. Quæ quidem relatio non est ad Deum vel rei ad seipsam sed rerum inter se. Non ideo enim dicimus rem esse bonam, quòd sibi ipsi conueniat, aut Deo, sed quia alicui alteri conuenit respectu cuius dicitur esse bona. Vestis v.g. non ideo est bona quòd Deo aut sibi ipsi conueniat, sed quia mihi frigoris arcendi gratiâ conuenit. Quæ passiones Entis non soli Enti reali, sed etiam Enti rationis competunt, ideo tamen Enti rationis, quia Enti reali conueniunt.

DIVISIO ENTIS.
In Substantiam & Accidens.

XII.

SVBstantiæ prædicamentum esse vnum, Accidentis autem

9. certum est. Vnde si Ens reale distinxerimus 10. prædicamenta constituemus; relationes vero rationis ad prædicamentum relationum realium reducemus, ita docente Philosopho in 5. Met: & in Logica ac D. Thom: 1. P. Q. 28. A. 1. inquiente Relationem generis ad subiectum & subiecti ad attributum & alias huiusmodi reuocari ad prædicamentum relationis. Si vero pro relationibus rationis prædicamentum seorsiuum asignauerimus probabiliter 11. prædicamenta esse defendemus.

XIII.

QVæ vero in seriebus Categoriarum reponantur si expetieris? sic accipe. Concreta substantiæ ponuntur in prædicamento directè, abstractá verò indirectè v. g. animal, rationale, directè in prædicamento ponuntur, iam autem rationalitas, animalitus, indirectè. Accidentium verò tam abstracta, quàm concreta apud Metaphysicos directè, apud Logicos autem sola abstracta (cùm ipsa tantum sint apta subesse notioni secundæ, Logicus enim fundat secundas intentiones in abstractis v. g. in albedine speciem, in colore genus, non autem in albo aut colorato) directè, concreta verò indirectè ponuntur in prædicamentis.

SVBSTANTIA.

XIV.

INter quæ iuremerito primum locum obtinet Substantia; Non solùm quòd sit subiectum accidentium sed etiam quòd prior naturâ accidentibus, substantia enim à nullo dependet, accidentia autem pendent à substantia quoad esse, Accidentium enim esse est inesse substantiæ.

XV.

RAtionem formalem seu essentiam substantiæ non esse substare

Acci-

Accidentibus aut non esse in alio; sed esse per se seu existere per se; Cùm cuiuslibet rei essentia sit illa docente Philosopho 7. Met. c. 4. quæ primò & per se de re dicitur: iam autem esse per se seu existere per se primò de substantia dicitur; Substare vero Accidentibus & non esse in alio consequuntur tanquam proprietates hanc essentiam, vt primò ab ipsa hoc quòd substet Accidentibus, deinde verò ex hac, quòd non sit in alio, fluat, cum D. Thom. 3. P. Q. 77. art: 1. ad 2. indubitanter affirmabis.

X VI.

SVbstantia à Philosopho rectè in primam, quæ neque est in subiecto neque dicitur de subiecto; quæ est singularis: & in secundam quæ non est quidem in subiecto sed dicitur de subiecto & est Vniuersalis: diuiditur. Et quidem substantia prima idem est quod indiuiduum, Cuius non hæcceitas sed materia signata quantitate principium est. Hoc autem inuenitur in omnibus, videlicet tam in Substantiis quàm in Accidentibus, speciali tamen modo in Substantiis: Substantia enim indiuiduatur per se ipsam, Accidentia autem per subiectum: dicitur enim hæc albedo in quantum est in hoc subiecto. Et ideò indiuidua Substantiæ dicuntur vel primæ Substantiæ vel Hyppostases, docente D. Thom. 1. p. Q. 29. A. 1. sed quia duplicis generis sunt substantiæ, aliæ quæ non habent dominium sui actus & talium Indiuiduum nomine Hyppostaseos, dicitur: aliæ, quæ habent, & talium Indiuidua habent peculiare nomen personæ. Quæ persona à Boetio in lib: de 2. naturis definitur, sic. Est rationalis naturæ Indiuidua Substantia. Et dicitur Indiuidua Substantia in quantum significat singulare in genere substantiæ: additur autem rationalis naturæ in quantum significat singulare rationalis Substantiæ. Non tamen quodlibet Indiuiduum, rationalis naturæ existimes esse personam, sed solum illud quod per se exiſtit, non autem illud quod existit in aliquo perfectiori: Vnde manus Petri quamuis sit Indiuiduum, non tamen est persona,

rꝛ, quia non exiſtit per ſe, ſed in quodam perfectiori, videlicet in ſuo toto, vt auth: D. Thom: 3. P. Q. 2. Art: 2.

XVII.

NE tamen Hyppoſtaſim cum perſona nimis confundas, aut etiam nimiam diſtinctionem inter illas facias, cum S. Thom: in 3. p. Q. 2. A. 3. determina perſonam ſupra Hyppoſtaſim niſi determinatam naturam ſcilicet rationalem addere: & ideo in Chriſto Domino idem eſt attribuere propriam Hyppoſtaſim humanæ naturæ & propriam perſonam. Et id ex eo, quia Hyppoſtaſis apud Græcos ex propria nominis ſignificatione habet, quod ſignificet quodcunque Indiuiduum Subſtantiæ ſed ex vſu loquendi habet quod ſumatur pro Indiuiduo rationalis naturæ ratione ſuæ excellentiæ.

XVIII.

DIuiſio autem Subſtantiæ in primam & ſecundam eſt ſubiecti in Accidentia, ita ſicut diuiditur homo in primum & ſecundum vel in album & nigrum, & eſt diuiſio analogi in analogata ita volente D. Caiet: in caput de ſubſtantia & D. Th: de potentia Q. 9. art: 2. ad 6. Non tamen ſumas hic analogiam in rigore acceptam, cùm hoc velit Sanches in ſua Logica Q. 8. ex ea fortè ratione, quòd iſta membra non habeant commune diuiſum ex quo inæqualiter participent, cùm ſubiectum quod diuiditur in hæc Accidentia non ſit commune ipſis diuiſum.

XIX.

LImitibus prædicamenti ſubſtantiæ, etſi Angelos & omnes ſpiritus incluſeris; ſi tamen Deum ab ipſis liberaueris non ſolùm pium opus facies, ſed etiam omnem compoſitionem ab ipſo excludes.

QVANTITAS.

XX.

CVm Philosophi institutum sit agere de substantia corporea & materiali eò quòd sit vicinior nostris sensibus, ipsisque ad cognoscendum facilior, nam substantiæ separatæ obscuræ sunt & cognitu difficiles, ideo de illo accidente, quod prius & immediatius insit substantiæ materiali, qualis est quantitas post substantiam ante qualitatis tractatum quæ sequitur, formam optimè tractauit.

XXI.

QVantitatis autem ratio formalis seu essentia, nec est diuisibilitas, nec mensura, nec extensio partium ad locum, cùm hæc sint posteriora Quantitate & dimanent ab ipsa vt proprietates à subiecto: sed est extensio partium in se docente D. Thom. 1. P. Q. 11. A. 12. ad 1. Priùs enim debet aliquid habere partes extra partes in ordine ad se; deinde in ordine ad locum. Tum esse diuisibile, vltimo esse mensurabile: Si tamen mensuram aut diuisibilitatem radicaliter sumpseris, cùm nihil aliud sit quam extensio partium in se, quamcunque dixeris essentiam Quantitatis, optimè Quantitatem explicabis; & hoc vult D. Thom: opus, 52. vbi de natura loci agens; mensuram rationem formalem vnitatis esse asserit, & in 1. Phys: L. 3. vbi diuisibilitatem, inquiens, Illud quod est indiuisibile non posse esse quantum, assignat.

XXII.

QVòd si verò Quantitatis Metaphysicè consideratæ rationem formalem extensionem partium in se, Quantitatis autem Logicè sumptæ mensuram asserueris, nec contra Philosophum qui hoc vult tum in 5. Met: c. de Quantitate, cùm ratione termini copulantis partes illas extensas in se tres videlicet Lineam, Super-

per-

perficiem & Corpus, aſsignat. Tum in ſua Logica agens de prædicamentis, cùm ratione menſuræ tam intrinſecæ quàm extrinſecæ, quæ menſurat Subſtantiam, Quantitatis continuæ Species 5. Lineam, Superficiem, Corpus, Locum & Tempus : Quantitatis vero diſcretæ numerum qui diſtinguitur realiter à rebus numeratis, & Orationem eſſe affirmabat. Nec contra D. Thom: qui locis citatis, tam extenſionem partium in ſe quam menſuram, eſſentiam Quantitatis aſſerit.

XXIII.

SVbiectum Quantitatis primum non eſt materia ſola, nec forma ſola, ſed materia informata formâ ſeu totum compoſitum ; non enim Accidentia ſubiectantur in materia aut formâ, ſed in toto compoſito. Nec eſt aliquod accidens ; hoc enim deberet eſſe extreiter poſitū(quemadmodum illi volunt qui hoc aſſerunt)& diſpoſitum quo ad ſuas partes, quæ extreizat o ſupponit Quantitatem ; Non ſola enim Subſtantia non poteſt habere partes extra partes, ſed etiam accidentia ſine Quantitate ; hic namque eſt effectus primarius & formalis Quantitatis : Tum quia Quantitas eſt ſubiectum accidentium vt Quo, vt vult D. Thom: 3. P. Q. 77. A. 3. Tum quia omnia Accidentia ſupponunt Subſtantiam extenſam, quæ nequit eſſe talis niſi per Quantitatem. Quin imo ne quidem poteſt habere partes ſine Quantitate niſi virtualiter, illæ enim quas excogitarunt Nominales Entitatiuæ ſunt merum figmentum, quia iam Subſtantia eſſet extenſa ſecundum partes illas Entitatiuas & per conſequens diuiſibilis, diuiſibilitas enim ſequitur tanquam propria paſſio extenſionem partium, iam autem ſine Quantitate non eſt Subſtantia diuiſa niſi in formam & materiam aut genus & differentiam.

XXIV.

NEc dicas ſupponere accidentia, Subſtantiam extenſam Quantitate ſubſtandi, cuius eſt ſubiectum primum ſubſtantia: non

 acci-

accidentali, cuius subiectum primum est quodlibet accidens & quæ est propria cuiusque accidentis. Non dicas inquam quia hoc est mera nugatio; frustra enim fit per plura, quod potest esse per pauciora: & contra Philosophiam, quæ plura accidentia distincta numero, quales istæ Quantitates essent, in eodem subiecto vetat asserere.

XXV.

QVòd si Quantitates istæ accidentium in vno subiecto per Philosophiam auferantur; & recipi accidentia in substantia quæ est tanquam subiectum ipsorum Quod, per Quantitatem quod est subiectum Quo: vnamque in subiecto Quantitatem extendentem ipsum & suscipientem (est enim & subiectum Quod quantitas) accidentia pateat: periculosum est ne dicam amplius; propter admirandum Eucharistiæ Sacramentum, asserere Quantitatem non distingui nec separari realiter à subiecto, sic enim deberet in Hostia consecrata aliquid panis remanere, cùm Quantitas illa quæ non potest separari à pane in consecrata hostia, in qua subiectantur accidentia consentientibus omnibus Theologis, remaneant.

XXVI.

QVòd si dicas in hostia consecrata non esse subiectum, in quo fundentur accidentia illā quantitatem substantiæ, sed solùm quodlibet accidens habens suam Quantitatem virtute Diuina suspensum esse; ideòque illas Quantitates quæ sunt accidentia distincta numero non esse in vno subiecto. Tunc quæro fuerintne illæ Quantitates ante consecrationem hostiæ? Si asserueris fuisse: asserere etiam plura accidentia distincta numero in eadem Hostia non consecrata debebis. Si dixeris non fuisse vel etiam fuisse simul cum Quantitate Substantiæ redde rationem cur ante consecrationem non fuerint vel simul fuerint cum Quantitate substantiæ nunc autem sint: vel vnde ortæ sint: an creatæ? En ecce nouum miraculum: iam autem Deus non tenetur facto vno miracu-

lo facere alterum, cùm hoc per prius optimè saluare posit. At quod faciendum à tenentibus non distingui realiter Quantitatem à Substantia fortè adigetur.

XXVII.

EX quo sequitur albedinem & quodlibet aliud Accidens si separetur à Subiecto sine Quantitate non habiturum partes extra partes; sicut etiam si separetur Quantitas. Nec istam substantiam à qua separaretur Quantitas, futuram in vniuerso, hymæra est; sic enim etiam Angelum esse in vniuerso, hymæra esse deberet. Quod si Quantitas illa restitueretur ipsi à Deo, ita partes illius Substantiæ quantisarentur sicut prius. Dum autem dicimus, more spiritualium illam substantiam in loco futuram, non dicimus totam in toto spatio & totam in qualibet eius parte futuram, sed more spiritualium id est definitiuè asserimus.

XXVIII.

NEc illud argumentum de rarefactione insolubile est. Dum enim dicitur corpus palmare rarefieri ita vt fiat bipalmare, habere Quantitatem eandem an diuersam? siue dixero eandem siue aliam, vtramque partem tuebor: realiter tamen Quantitatem distingui à Substantia asseram.

RELATIO.

XXIX.

RElationes optimè sic diuides. Primò quòd aliæ sint rationis, aliæ reales. Cum enim prima sit diuisio Entis in Ens rei & Ens rationis; jam autem Relationes sunt quædam Entia, sunt enim Accidentia respectiua: benè inprimis sic vt dictum diuiduntur. Relationes rationis sunt quæ solius intellectus & nullius alterius potentiæ beneficio fiunt. Relationes autem reales sunt, quæ posito fundamento & termino nullo operante intellectu in rerum natura sunt. Relationes reales, aliæ sunt secundum dici, quæ ni-

hil aliud sunt quam Accidentia quædam quæ ita insunt Subiecto & ordinant ipsum ad aliud, vt tota eorum natura non sit ordinare ad aliud, sed ipsum subiectum in se afficere & disponere. Sic Scientia inest quidem animæ vt intelligat, tamen Scientiæ natura præcipua est, perficere animam, deinde referri ad Scibile. Aliæ secundum esse quæ sunt Accidentia quædam quorum totum esse est referri ad aliud vt paternitas & filiatio. Relationes secundum esse, aliæ sunt prædicamentales, quæ habent tales terminos in quos feruntur, qui habent rationem termini & non causæ, & etiam qui innituntur accidenti alicui absoluto, videlicet vel Quantitati vel Qualitati, vel Actioni & Passioni. Aliæ transcendentales quæ vagantur per omnia prædicamenta & habent terminos qui habent locum causæ alicuius fundanturque in intimis rerum attributis à moto quocunq; extrinseco & non essentiali prædicato, & tales sunt Relationes potentiarum ad sua obiecta, & inhærentiæ ad Substantiam. Secundò quòd aliæ sint mutuæ, quando ex parte vtriusque extremi correlatiui sunt reales vel rationis, qualis est Relatio inter Patrem & Filium. Aliæ non mutuæ, quando ex parte vnius termini est Relatio realis, ex parte autem alterius est Relatio rationis. Sic nos referimur ad Deum Relatione reali seruitutis, Deus autem ad nos refertur Relatione rationis dominii. Quia non est in Deo Accidens aliquod reale per quod dicatur Dominus. Tertiò quod aliæ sint æquiparantiæ in quibus non solum denominatio sed etiam & fundamentum sunt eiusdem rationis in vtroque correlatiuo, vt similitudo inter duo alba, secundum quam vnum dicitur alteri simile. Aliæ disquiparantiæ prioribus oppositæ, qualis est inter Patrem & Filium, & hæ aliæ suppositionis, aliæ superpositionis.

XXX.

FVndamenta vero in quibus fundantur istæ Relationes, aliæ sunt Remota & hæc sunt 4. Substantia in qua fundatur Relatio

tio eiusdem & diuersi, nam illa sunt eadem vel diuersa, quæ habent eandem vel diuersam Substantiam. Quantitas in qua fundatur ratio æqualitatis vel inæqualitatis, nam illa sunt æqualia vel inæqualia, quæ habent æqualem vel inæqualem Quantitatem. Qualitas, in qua fundatur Relatio similitudinis vel dissimilitudinis, illa enim similia sunt, quorum est eadem Qualitas. Actio & Passio, in qua fundatur Relatio paternitatis & filiationis dominii & seruitutis. Alia Proxima, quæ etiam dicuntur modi fundandi Relationum, & sunt tria, videlicet numerus & vnitas, in qua fundatur Relatio dupli & simpli, Actio & Passio in qua fundatur Relatio paternitatis ac filiationis, & mensura in qua fundatur Relatio inter mensurans & mensurabile, vt inter Scientiam & Scibile. Et secundum hæc tria fundamenta proxima sunt Relationum tria genera videlicet primum, secundum & tertium. Primi ergo generis & secundi relatiua dependent à se mutuo, tertii vero non dependent. Nam etsi Scientia dependeat à Scibili, Scibile tamen non dependet à Scientia. Ex quibus facilè scies ad quamlibet Relationem 4. requiri: Subiectum scilicet, terminum, fundamentum & modum fundandi: Vt in Relatione paternitatis subiectum est Pater, Relatio filiationis est terminus, potentia generatiua fundamentum, ipsa generatio modus fundandi.

XXXI.

QVas Relationes sic percipe. Inprimis scito illas habere separatum prædicamentum à cæteris. Tum quia diuersa ratione prædicantur de prima substantia. Tum quia habent peculiarem modum essendi à cæteris: nam substantiæ est esse per se, Accidentium vero absolutorum esse in alio, Relationum autem esse ad aliud. Deinde in hoc prædicamento ponuntur solæ Relationes reales, directè vt vult D. Thom: 1. P. Q. 28. Art: 1. illæq; finitæ: quia hîc Ens finitum distinctum est in 10. Prædicamenta. Eæq; prædicamentales & non transcendentales, secundum esse &

non secundum dici: Sicut enim Relationes transcendentes vagantur per omnia prædicamenta, quia consequuntur Entitatem & essentialia attributa cuiusque rei: ita & Relationes secundum dici, quia sequuntur suum formale & præcipuum [redacted] significatum, quod est natura quædam absoluta, non ponuntur in hoc prædicamento sed in illo, in quo ponitur illa natura absoluta, v. g. significatum præcipuum & formale Scientiæ est esse habitum & Qualitatem, ideo ibidem Relatio Scientiæ ad Scibile reponetur videlicet in Qualitate. Quæ etiamsi ita se habeant: Relationes tamen secundum dici, & Relationes transcendentes non sunt eædem: Contrarium volente Petronio lib: 3. Q. 2. ad 3. in sua Logica. Tum quia Relationes transcendentes sunt Relationes secundum esse, non autem secundum dici: Tum quia Relationes transcendentes vagantur per omnia prædicamenta, secundum dici non vagantur, sed sunt in illo prædicamento in quo est præcipuum earum significatum.

XXXII.

IN hoc prædicamento Genus supremum est Relatio, non quidem in actu exercito, seu exercita, sed in actu signato seu concepta. Quia Relatio quæ est genus supremum non habet terminum, in quem feratur, quæ sub se continet omnes Relationes, qualis est Relatio concepta, hæc enim Relatio habet talem terminum. Et desumit suam vnitatem specificam in genere causæ efficientis à fundamentis: nam fundamenta producunt tales, saltim per naturalem resultantiam Relationes terminatas ad tales terminos & talem Speciem. In genere vero causæ formalis, sumunt suam vnitatem à terminis, quia Specificatio formalis sumitur ab eo, quod se habet vt forma. Vnde extrinsecè Relationem specificat terminus, intrinsecè verò ordo ad terminum. Vnitatem vero numericam sumunt Relationes, vt vult D. Thom: 1. P. Q. 39. art. 3. à Subiecto. Nam Accidentia sicut esse habent à subiectis ita ex subiectis sumunt suam vnitatem adeo, vt in vno subiecto non

possint

possint esse plures Relationes numero distinctæ. Vnde in Christo Domino non sunt duæ filiationes reales, vna quâ referatur ad patrem æterna, altera quâ referantur ad matrem temporalis, sed illa est realis, hæc rationis. Quia vnum subiectum non est capax duplicis relationis realis. Nec etiam pater aliquis habens plures filios potest referri pluribus relationibus ad illos vt vult D. Thom: 3. P. Q. 53. Art: 5. nam eodem modo essent plures paternitates in eodem subiecto. Quia dum pater habet vnum filium, & alterum postmodum generat, non aduenit ipsi noua Relatio, sed illa prima Relatio se extendit ad illum secundum & plures alios. Et id ex eo quia Relatio inter patrem & filios plures quos habet, non terminatur ad plures terminos, sed ad vnum tantum totalem & adæquatum.

QVALITAS.

XXXIII.

IN Cap: de quali definit Philosophus qualitatem, sic qualitas est à qua quales nominamur. Quæ definitio est descriptiua: tum quia est per effectum formalem; tum quia genera supremi non definiuntur essentialibus definitionibus, qualis est qualitas. Hæc qualitas diuiditur in species subalternas quatuor, quemadmodum vult Philosophus, qui has species sub nomine generis eiusque intermedii vt legenti patet, effert. Sunt autem hæ species Habitus & Dispositio, naturalis potentia & impotentia, passio & patibilis qualitas, figura & forma. Habitus est qualitas difficulter mobilis à subiecto. Dispositio autem è contra se habet. Naturalis potentia est facultas quædam à natura tributa ad aliquid agendum vel resistendum alicui, Et sub hac specie continentur omnes virtutes, lapidum, plantarum, & metallorum,

omnes proprietates animalium, omnes facultates animæ, &c. Impotentia verò naturalis huic est opposita: Passio est qualitas facilè mobilis à subiecto, afficiens ipsum & per hoc differt ab habitu. Patibilis qualitas verò naturam huic oppositam habet. Forma est dispositio apta corporis in rebus animatis. Figura verò in rebus inanimatis.

RELIQVA SEX PRÆDICAMENTA.

XXXIV.

SEx reliqua prædicamenta, videlicet: Actio, Passio, Situs, vbi, Quando, & Habitus, sunt absoluta nisi quod ex significando & quasi per accidens denotat relationem aliquam. Actio itaque est forma secundum quam denominamur agere. Passio autem est effectus actionis. Ad actionem requiruntur quatuor. 1. Agens cum omnibus requisitis ad agendum. 2. Id quod per talem actionem fit. 3. Id in quod agitur. 4. Ipsa actio.

XXXV.

ET quoniam actiones sunt duplices, aliæ immanentes, aliæ transeuntes. Immanentes esse subiectiuè in agente certum est: transeuntes autem, siue dixeris esse in agente subiectiuè, siue in passo optimè naturam actionis explicabis. Distingues tamen actionem, nam actio sumpta concomitanter, seu pro forma causata ab agente & aquisita à passo. quemadmodum calor causatur ab igne in aqua, est subiectiuè in passo: Actio verò sumpta essentialiter, videlicet, pro emanatione ipsa, qua introducitur forma in patiente, secundum eius primum gradum se pro respectu reali, quem agens habet ad passum sumpta: est subiectiuè in agente, quia respectus agentis ad passum & passi, ad agens sunt re-

spectus

spectus oppositi, ideo non possunt esse simul in palo.

XXXVI.

Situs est positio partium: sed quoniam hæc positio est duplex: Altera quæ dicit ordinem partium inter se secundum quem vna est ante aliam vel in alia, vel alio quouis modo, & de tali positione sermo fuit in prædicamento quantitatis. Altera in ordine ad locum quæ situs dicitur, & hæc constituit hoc prædicamentum, secundum quam corpus est in loco: vt, sedere, stare, cubare. Iste Situs alius est naturalis, quem natura præfixit animalibus, vt quòd homo habeat caput sursum: alius accidentalis, & hic aut est animatorum, vt stare, sedere, alius inanimatorum, vt adiacere, erigi, &c.

XXXVII.

VBi nihil aliud est nisi circumscriptio corporis, ex circumscriptione loci prouenieus.

XXXVIII.

QVando nihil est aliud quam id quod ex temporis adiacentia relinquitur. Tempus, esse sub tempore, relinqui ex adiacentia temporis sunt distincta. Nam tempus est rerum mensura continua, successiua. Sub tempore esse, est fluxum & variationem in suo esse, & operatione secundum temporis variationem pati. Relinqui autem ex adiacentia temporis, est denominari ab ipso tempore mensurante.

XXXIX.

HAbitus tribus modis dicitur. 1. Pro Qualitate difficulter mobili, & sic est prima Species Qualitatis. 2. Pro habitudine & relatione rei penitus extrinsecæ ad aliud cuius dicitur esse quemadmodum dicimus aliquid nos habere & sic est vltimum Postprædicamentum. 3. Pro aliqua forma vel re certo

modo se habente circa corpus. Quemadmodum dicimus esse vestitum, esse calceatum, & sic hoc Prædicamentum constituit. Distinctiones huius Habitus, cùm cuique per se notissimæ sint non recenseo. Sed solum Enti primo, vnô, immenso, perfecto, omnis compositionis experti, omnipotenti, per quem omnia facta sunt, obsequium meæ seruitutis recognoscens, totum me dedico. Cui soli sit laus, honor & gloria.